(101)

470 572

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Propositiones, quas circa efficaciam gratiæ Patres Societatis Jesu censent Pelagianas.

Quamuis Pelagius potius circa necessitatem gratiæ, quam circa eius efficaciam errauerit, nihilominus consequenter errans nonnulla dixit, quę doctrinę Catholicę de efficacia gratię aduersantur, qualia sunt, quę sequuntur.

1ª. Gratia efficax consistit in dono aliquo creationis in lege, vel doctrina, aut in extrinseca suassione.

2. Non datur gratia Dei, quę det facere, et velle, sed solum, quę iuuet posse.

3. Gratia Dei efficax est pedisequa voluntatis.

4. Gratia efficax datur propter aliquam dispositionem, siue negatiuam, siue positiuam, ex solis arbitrij viribus ortam.

5. Ex naturali vsu libertatis negatiuo pendet, quod homini detur auxilium efficax.

6. Stat, aliquem bene vti positiue auxilio sufficienti, absq[ue] gratia efficaci.

7. Deus ad hominis iustificationem concurrit solum vt causa moralis

8. Nullum datur auxilium gratię Dei, ex cuius efficacia liberum arbitrium moueatur ad consentiendum, vel ex cuius virtute habeat quod consentiat.

9. Postquam Deus excitauit voluntatem, non cooperatur cum illa physice ad consensum.

10. Gratia efficax datur propter nostra merita, ex solis arbitrij viribus habita.

11. Si Deus in nobis bona opera per efficacem gratiam faceret, non essent laude digna.

Propositiones circa efficaciam
Gratiæ.